

Theol 2549 (64)

DECAS THEOLOGICA

DE

TRIADE

FIDEI, SPEI ET CHARITATIS.

Trino Optimo, Triadi Creatæ,

CHRISTO Fidei nostræ fundamento.

MARIAE Sanctæ Spei Matri.

JOSEPHO Charitatis Speculo.

Devotissimè consecrata, & humillimè oblata.

Publicæ velitationi exposita in Conventu Colon. Ord. Prædicatorum.

P R A E S I D E ,

R. P. F. PETRO THOLEN,

Generalis Studii Baccalaureo.

Propugnantibus ,

P. HUBERTO *Sturm* , & P. ADOLPHO *Frisch* ;
ejusdem Ordinis & Voti.

Die 16. Julii horâ 1. pomeridianâ.

Colonia, Typis CORNELII CÔNEN, sub Semilunio propè Tesseræ Portam, Anno 1708.



Univ.-Bibl.
München

DECADIS THEOLOGICÆ

Ad mentem Praeceptoris nostri Angelici

D. THOMÆ AQUINATIS.

P A R S Ima.



Ides est habitus mentis , quo inchoatur vita æterna in nobis , faciens intellectum assentire non apparentibus. S. Th. 2. 2. q. 4. a. I. ejus objectum formale Quod est DEUS sub ratione primæ veritatis in essendo , in quantum nihil cadit sub fide , nisi in ordine ad Deum q. I. a. I. Objectum autem formale Quo est veritas prima in dicendo simul intrinsecè connotans Veritatem in cognoscendo ; Non enim Fides assentit alicui , nisi quia à Deo revelatum est. loc. cit. Unde assensus Fidei non resolvitur ultimè in authoritatem Ecclesiæ proponentis , sed in solam primam Veritatem revelantem , proindequè Fidei nec ex parte Dei dicentis , nec ex parte credentis falsum subesse potest : quia nihil potest cadere sub fide , nisi in quantum stat sub Veritate primâ , sub quâ nullum falsum stare potest. q. cit. a. 3.

I I.

Impossible est , quod ab eodem idem sit scitum & creditum , q. I. a. 5. intellige quo ad actum vel quo ad habitum simul , potest tamen esse creditum quo ad habitum , & scitum quo ad actum ; Quia enim Paulus in raptu non fuit beatus habitu aliter , sed solum habuit actum Beatorum , consequens est

A 2

ut

•S(4)Se

ut simul tunc in illo non fuerit actus Fidei , fuit tamen
in illo simul habitus Fidei. q. 175. a. 3. Evidentiam credibili-
tatis , quâ quis evidenter judicat hic & nunc adesse sufficien-
tia motiva ad credendum , argumenta plura efficaciter con-
vincunt : Evidentiam quoquè in attestante seu claram notitiam
de existentia ipsius revelationis (per quam evidenter constat
Deum esse , qui attestatur & revelat mysterium) dari indubi-
tatum est : Minimè tamen Fidem tollit , quia illa sola Mani-
festatio excludit fidei rationem , per quam redditur apparen-
tia vel visum id , de quo principaliter est Fides q. 5. a. 1.

III.

PRæter scripturam sacram quæ est infallibilis regula Fidei ad-
mittendas esse traditiones , patet ex illo 2. Thessal. 2. Itaq;
fratres state & tenete traditiones quas didicistis , sive per ser-
monem sive epistolam nostram. Determinare ea quæ sunt
Fidei , ut ab omnibus inconcussa fide teneantur , pertinet ad
authoritatem summi Pontificis q. I. a. 10. Qui è cathedrâ
loquens est infallibilis animata regula Fidei & Morum , infal-
libilem supra Concilium Oecumenicum habens autoritatem ,
& hæc regula pro nunc est Clemens XI. quem suppositâ legi-
timâ electione verum Petri successorem & Christi Vicarium
ex fide asserimus ob verba divinæ Veritatis Matth. 10. *Tu es
Petrus & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam. Nihil
ominus in sententiis , quæ ad particularia facta pertinent , ut
cum agitur de possessionibus vel de criminibus vel de hujuscemo-
di , possibile est iudicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.*
quodlib. 9 a. 16.

IV

Fides quantum ad assentiendum , qui est principalis actus
Fidei

Fidei, est à Deo interius movente per gratiam. q. 6. a. 1.
 Intellige physicè præviam ac intrinsecè efficacem, quam nedum
 libertatis minimè læxivam, verum ejusdem maximè perfectivam
 duce Angelico Præceptore nostro propugnamus. Certitudine
 simpliciter præstat scientiâ aliisq; Virtutibus intellectualibus ;
 quia multò magis Homo certior est de eo quod audit à Deo
 qui falli non potest, quam de eo quod videt propriâ ratione quæ
 falli potest. q. 4. a. 8. ad 2. Mysterium incarnationis Christi ali-
 qualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes - - -
 post tempus autem gratiæ diuulgatæ tam majores quam minor-
 res tenentur habere fidem explicitam de mysterio Christi. q. 2. a.
 7. Sicut & tenentur omnes ad explicitè credendum mysterium
 Trinitatis a. 8. Sine quorum Mysteriorum explicitâ fide homo
 est incapax absolutionis Sacramentalis. Confiteri fidem non
 semper nego, in quolibet loco est de necessitate salutis q. 3. a. 2.
 Quam sicut negare sic falsam simulare illicitum est semper pro
 semper. In hæretico discredente unum articulum Fidei non ma-
 net fides neq; formata neq; informis q. 5. a. 3.

V.

SPes est Virtus cum faciat actum hominis bonum & debitam
 regulam Attingentem q. 17. a. 1. in O principaliter respicit
 Beatitudinem aeternam, alia verò quæ petuntur à Deo respicit
 secundariò in ordine ad Beatitudinem aeternam q. cit. a. 2. ad
 2. Et ideo proprium & principale objectum spei est Beatitudo
 aeterna a. cit. in O intellige objectiva : Unde Beatitudinem for-
 malem non tanquam constitutivum, sed solùm tanquam con-
 ditionem requisitam in obliquo connotat. Ejus ratio formalis sub
 qua non est arduitas, nec bonitas objecti sperati, sed Omnipo-
 ten-

• 66 (6) 50 •

centia divina ut auxilians, sive auxilium divinum activè sumptum ;
quia in quantum speramus aliquid ut possibile nobis per divinum
auxilium, spes nostra attingit ipsum Deum , cuius auxilio inni-
titur. q. 17. a. I.

V I.

Damnati non possunt apprehendere Beatitudinem ut bo-
num possibile, sicut nec beati ut bonum futurum , & ideo
ne q̄ in beatis neq̄ in damnatis est spes sed in viatoribus sive
sint in viâ istâ sive in purgatorio potest esse spes , quia utrobiq̄
apprehendunt Beatitudinem ut futurum possibile q. 17. a. 3.
Durante virtute spei eâdem spe aliquis sperat Beatitudinem sibi
& alijs, sed evacuata spe in Beatis secundum quam sperabant
sibi beatitudinem sperant quidem alijs Beatitudinem, sed non vir-
tute spei, sed magis ex amore charitatis. a. I. ad 3. Negativum spei
præceptum obligans semper pro temper est duplex , scilicet de
non desperando & de non præsumendo ; utrum & quando obli-
get præceptum spei affirmativum ? interroganti respondebitur.

V I I.

Quamvis de potentia absoluta Deus possit revelare suam
damnationem alicui, non tamen hoc potest fieri de potentia
ordinaria , quia talis revelatio cogeret eum desperare, & si
alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum
prophetæ prædestinationis vel præscientiæ , sed per modum Pro-
phetæ Comminationis , quæ intelligitur suppositâ conditione
meritorum. q. 23. de veritate ar. 8. ad 2. Quod si autem Deus
alicui damnationem absolutè cum omnimodâ reprobationis
certitudine revelaret , talis etsi Beatitudinem suam concipi-
cere , eam tamen Theologicè sperare nedum potentiam conse-
quenti sed nec antecedenti posset , destructo nimirum judicio
pruden-

prudentiali futuritionis ad potentiam sperandi essentialiter requisito : Nihilominus etsi negativè , non tamen positivè desperare posset.

V I I I.

Charitas Amicitia quædam est hominis ad Deum q. 23.
Ca. 1. quæ est aliquid creatum in anima , quia maxime necesse est quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habituialis forma superaddita potentia naturali,inclinans ipsam ad charitatis actum & faciens eam promptè & delectabiliter operari
a. 2. Est specialis virtus a. 4. Excellentior fide & spe & per consequens omnibus alijs virtutibus a. 6. dat formam actibus omnium aliarum virtutum, & pro tanto dicitur esse forma virtutum
a. 8. imò cum virtus vera simpliciter est illa quæ ordinat ad principale bonum hominis ----- nulla vera virtus potest esse sine charitate a. 7. quæ est vera virtus etiam in gradu remisso , minima enim charitas plus diligit Deum quam cupiditas millia auri & argenti. 3. p. q. 70. a. 4. hujus objectum formale non est bonitas analogicè communis divinæ per essentiam & divinæ per participationem , neque sola naturæ bonitas ut distincta virtualiter à relationibus & attributis , sed bonitas divina pro ut in se est, seu pro ut dicit essentiam attributa & personas, quia charitas diligit Deum secundum quod est beatitudinis objectum. I. 2. q. 109. a. 3. ad I.

I X.

Charitas non evanescatur per glorie perfectionem,sed eadem numero manet I. 2. q. 67. a. 6. de ratione charitatis via est ut possit augeri 2. 2. q. 24. a. 3. neq; imponitur terminus augmento charitatis in statu via a. 7. unde non repugnat quod charitas

charitas viæ intensivè sumpta adæquet, imò superet charitatem patriæ. Quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum a. 6. ad I. unde et si actibus remissis mereatur homo, augmentum tamen charitatis in esse physico actibus remissis correspondens non datur in hac vita dum justus ferventiorem actum elicit, sed probabilius differendum videtur usque ad separationem animæ à corpore, vel usque ad primum glorificationis instans. Per unum actum peccati mortalis habitus charitatis perditur a. 12. nihilominus nullo modo diminui potest directè loquendo, potest tamen indirectè dici diminutio charitatis dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis. a. 10.

X.

Manifestum est quod idem specie actus est quo diligitur Deus & quo diligitur proximus q. 25. a. 1. attamen principaliter & maximè Deus est ex charitate diligendus q. 26. a. 2. idq; sub precepto frequenter obligante, qui quantò plus diligitur, tanto est dilectio melior q. 27. a. 6. de charitatis necessitate est, ut aliquis diligens Deum & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat q. 25. a. 8. proximum quantum ad salutem animæ magis debemus diligere quam corpus proprium q. 26. a. 5. unum proximum oportet magis quam alium diligere. a. 6. inter quos illi, qui sunt nobis magis conjuncti, sunt ex charitate magis diligendi a. 8. ad dilectionem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur --- & ideo eleemosynarum largitio est in precepto q. 32. a. 5. similiter correctione fraternali est actus charitatis q. 33. a. 1. ordinatur autem ad fratri emendationem & ideo hoc modo cadit sub precepto, secundum quod est necessaria ad istum finem, non autem ita quod quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur a. 2. pertinet ad unumquemque respectu cuiuslibet personæ, ad quam charitatem debet habere, si in eo aliquid corrigibile inveniatur. a. 4.

F I N I S.